

1232 abril 13. Barcelona

El rei Jaume I enfranqueix els habitants de Girona del pagament de la lleuda, peatge, pesada, portatge pes i usatge dins totes les seves terres.

[A]. Original perdut.

- B. Còpia perduda escrita per Pere Burguès, a petició de Ramon de Taialà, notari públic de Girona, autenticada per Bernat de Prat, jutge ordinari de Girona, del 31 de juliol de 1284.
- C. Registre matriu del document conservat a l'ACA, Cancelleria, reg. 211, f. 307v.
- D. Còpia de B de principis del s. XIV conservada en el *Llibre Verd*, f. 6v.
 - a. Ed. de la còpia B per Ferran VALLS I TABERNER. *loc. cit.*, p. 130-131 (doc. V).
 - b. Ed. de la còpia D per Lluís BATLLE I PRATS. «Jaume I en la cartoral 'Llibre Verd' de l'Arxiu Municipal de Girona», *dins X Congreso de Historia de la Corona de Aragón*, Saragossa, II, 1976, p. 382 (doc. I).

De la franchea primera de leuda, peatge e alcunes altres coses.

Hoc est translatum fideliter sumptum a quodam privilegis domini Iacobi, inclite recordacionis condam regis Aragonum, sui cerei maioris pendentis munimine roborato, cuius tenor talis est: «In nomine Domini Ihesu Christi. Pateat universis hominibus, tam presentibus quam futuris, quod nos Iacobus, Dei gratia rex Aragonum et regni Maioricarum, comes Barchinone et Urgelli et dominus Montispesulani, attendentes multa et laudabilia servicia atque grata que vos dilecti et fideles nostri cives Gerunde exhibuistis nobis semper et nostris predecessoribus et exhibetis cotidie liberaliter et tam fideliter quam devote, volentes vobis gratiam facere specialem cuius gratie beneficio gaudeatis perpetuo vos et vestri, cum hac igitur carta per nos et omnes heredes et successores nostros enfranquimus et franchos ac liberos et ingenuos facimus vos omnes dilectos et fideles nostros cives et habitatores Gerunde et singulos, presentes scilicet et futuros, cum rebus et mercaturis vestris, ab omni lezda et pedatico, portatico, usatico, tolta, consuetudine, novis, veteribus statutis et statuendis, et omni penso ubique per omnia loca regnorum, terrarum et dominacionis nostre, tam per terram quam per mare et aquam dulcem etiam et in stagnum, eundo, stando et redeundo. Statuimus igitur firmiter et mandamus quod nullus lezdarius, pedagarius, pensator, senior, maiordomus, repositarius, merinus, salmedina, iusticia vel iudex seu alcaldu, vicarius, baiulus aut quilibet noster alius officialis vel subditus, presens vel futurus, audeat vel possit vos vel aliquem vestrum aut captalarios sive nuncios vestros aut res vel mercaturas vestras aliquas gravare, impedire, capere aliquid inde vel detinere in aliquo loco racione istorum, a quibus vos et vestros, sicut dictum est, perpetuo emfranquimus, set sitis liberi, franchi ab omnibus supradictis ubique semper inde et penitus absoluti. Quicumque autem contra tenorem huius nostri privilegii vos vel captalorios aut vestros nuncios vel res vestras aut mercaturas /6v/ quas habeatis vel in futurum habebitis, temptaverit agravare, iram nostram et penam mille morabatinorum alfonsinorum dampno et gravamine prius vobis in duplum plenarie restitutus sine omni remedio se noverit incursum.

Datum apud Barchinonam, II idus aprilis, anno Domini M^o CC^o tricesimo secundo.

Signum (*signe reial*) Iacobi, Dei gratia rex Aragonum et regni Maioricarum, comitis Barchinone et Urgelli et domini Montispesulani.

Huius rei testes sunt: Berengarius, episcopus Barchinone Bernardus, electus Maioricarum, dompnus Ferrandus, infans Aragonum, Raimundus Fulconis, vicecomes Cardone, Guillelmus de Montecatheno, Bernardus de Sancta Eugenia, Bernardus de Foxano, Assalitus de Gua, dompnus Acorella. Fferrandus Perez de Pina, Rodericus Gomiç.

Sig+num Guillelmi, scribe, qui mandato domini regis pro Guillelmo de Sala, notario suo, hoc scribi fecit loco, die et anno prefixis.

Sig+num Petri Burgesii qui II kalendas augusti, anno Domini M CC LXXX quarto, hoc fideliter translatavit, mandato Raimundi de Toyloano, publici Gerunde notarii.

Eg+o Bisullunus Burgesii, tenens locum Raimundi de Toyloano, publici Gerunde notarii, qui hoc translatum cum autentico fideliter comprobavi, subscribo.

Ego Bernardus de Prato, iudex ordinarius domini regis in Gerundensi, qui hoc translatum cum originali fideliter comprobavi, subscribo.

a. *Al marge esquerre, d'una mà posterior*: Altre foleo XXII, XXV, XXVI, XXVIII, amb tinta negra, més tardana: foleo 402, 408, altre al libre vermell f. 62, altre al dit libre f. 145, 157. *Al marge dret, clau que comprèn les línies 12-15, D.*